



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXXIX. Si is cui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Apostolicam devoluta, postea autem alicui unum talium beneficiorum specialiter conferat, aut conferri mandet, nulla facta mentione prius concessæ Episcopo facultatis, collatio facta per Apostolicam auctoritatem Canonica censeri debet.

## SUMMARIUM.

1. Non censetur ordinari Pontifex sibi & sua potestati præjudicare, quam habet ad conferenda v. g. beneficia, si alij concedat generalem gratiam beneficiorum v. g. conferendi.
2. Nisi talis concessio in pactum transjferat.

**N**otandum. In beneficalibus, ac rerum Ecclesiasticarum dispositione, in quibus quàm maximè Romanus Pontifex plenariam potestatem noscitur habere, c. 2. hoc tit. & lib. Clement. 1. ut lite pendente, si is alicui personæ, aut congregationi generalem gratiam faciat, nequaquam sibi præjudicare censetur, quo minùs in specie derogare, atque vel ipsemet per se disponere, aut providere, vel alteri in particulari casu providendi licentiam dare possit, prout etiam sumitur ex c. dudum 14. S. nos igitur. hoc lib. & tit. Ubi etiam ratio indicatur, quia in talibus pertinentibus ad gubernationem, & administrationem rerum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, Papa ita alijs gratias, & facultates largitur, ut tamen sibi ampliore potestate reservet: exemplum habes, si Romanus Pontifex alicui ordini regularium facultatem concesserit, monasteria monialium ordinis sui, si deficient, ad virorum monasteria transferre, eo privilegio non obstante, postea in casu speciali, unionem canonibus sacris permissam instituere non prohibetur, ita ut ea valeat, & executioni mandanda sit, tametsi in literis unionis nulla illius privilegij mentio facta sit.

Declarari debet, si privilegium seu concessio papalis censetur transjisse in pactum, quia videlicet Pontifex promisit, aut dixit

se non contraventurum, tunc derogare non debet. Id verò intellige ordinariè, & seclusa gravi necessitate. Talia sunt Germaniæ concordata, sicuti supra dictum.

## CAPITULUM XXXIX.

## Si is cui.

## PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. post promotionem suam ad Papatum, revocaverat omnes gratias, ab antecessoribus suis Nicolao IV. & Cælestino V. concessas, per quas jus tantum ad rem, non item jus in re quæsitum fuerat. Exinde resolvitur, si Cælestinus Papa, v. g. Titio Clerico canonicatum contulerat, cum mandato, ut ipsi dignitas, & præbenda conferretur, & ante revocationem gratiarum facta fuerit eidem Clerico, collatio dignitatis. Hoc in Casu Titius retinere potest dignitatem, præbendam verò, nisi dignitati annexa sit, virtute gratiæ ipsi factæ à Cælestino, petere non potest. Alia ratio est, si dignitas Titio collata sit cum expectatione præbendæ, atque ita res comparata, ut dignitas talis, non nisi Canonico conferri debeat, tunc enim ratione Canonicitatis, quem retinet, præbenda ei debetur.

## SUMMARIUM.

1. Non revocantur gratia beneficiales per mortem Papæ, etsi res sit integra adhuc.
2. Consuetudo facere potest compatibles Personatum v. g. & Canonicatum in eadem Ecclesia.

**N**otandum primò. Per mortem Papæ non revocantur gratia beneficiales factæ, tametsi res integra sit, sive jus in re non quæsitum. Contentit c. 1. si cui 36 hoc lib. & tit. quam ob rem ait Gl. hic, quòd dispositio revocatoria superveniens non tollat ea, quæ sunt in esse perfectò, sive non tollat jus quæsitum, nisi exprimat.

Y 2

No-

Notandum secundò, Per consuetudinem introduci potest, ut aliquis in eadem Ecclesia Præposituram, aliâque dignitatem, seu Personatum obtineat unâ cum canonicatu. Ita *Gl. hic in notan. Franc. n. 2.*

## CAPITULUM XL.

## Quodam.

## PARAPHRASIS.

Cælestinus V. Papa Titio contulit canonicatum datis executoribus, qui vacantem, vel proximè vacaturam præbendam eidem providerent; postea Cajo similem gratiam concessit, additâ etiam clausulâ, seu decreto irritante, videlicet, ut is alijs, etiam priorum gratiam à Sede Apostolica consecutus, anteferretur. Accidit autem, ut executores ignorantes posteriorem gratiam factam esse Cajo, præbendam vacantem Titio conferrent. Deinde Successor Bonifacius VIII. omnes gratias duorum antecessorum, quibus jus in re acquisitum non fuit, revocavit. Hoc in casu dubitatur, cuiam debeat ea præbenda, Titione, an Cajo. Respondet hic Bonifacius, quòd neutri: non enim priori, sive Titio, quia collatio ipsi, quamvis ignorantibus facta fuerit, post & contra decretum Cælestini, quo voluit Cajum prioribus anteferri, adeoque prioribus gratijs derogari. Neque Cajo, quia ipsi collatio præbendæ facta non fuit, ideoque nec jus in re quæsitum, ante decretum Bonifacij revocatorium gratiarum, quæ à duobus antecessoribus data sunt.

## SUMMARIUM.

1. Vim suam obtinet, etiam erga ignorantes, decretum Papæ revocatorium.
2. Neque convalescit prima gratia, si data cum decreto irritante posterior postmodum revocetur, nisi obreptitia sit hac posterior gratia.

Notandum primò, Decretum Papæ revocatorium gratiarum, aut irritans facultates, à se, vel antecessoribus suis concessas, vim suam obtinet, etiam erga ignorantes. Ita *Joan. And. hic in Gl. v. ignorantes. Lapsus & Anchoran. not. 3.* Et habet id maximè locum in rebus beneficialibus, in quibus Papa plenam potestatem noscitur habere, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 2. in fine.*

Notandum secundò, Si gratia alicui facta sit cum decreto revocatorio, aut irritante gratiæ prius collatæ alteri; postea verò gratia posteriùs data revocetur, non ideo convalescit gratia prior, quæ per decretum semel infirmata fuerat, quia, quod semel extinctum est, reviviscere non potest absque novo efficiente, seu concedente. Ita *Anchoran. hic not. 5.* qui bene postea limitat, nisi posterior gratia ostendi possit obreptitia, aliòve laborans defectu, quemadmodum, nec testamentum solemne revocatur per posteriùs minus solemne, quia non præstat impedimentum, quod de pure non sortitur effectum *reg. 52. in 6.*

## CAPITULUM XLI.

## Mandarum.

## PARAPHRASIS.

Si Pontifex mandârit alicui, ut beneficium proximè vacaturum, cujus collatio ad Capitulum Narbonensis Ecclesiæ pertinet, Titio Clerico conferret, in hoc mandato comprehenduntur tam beneficia, quæ ex statuto aut consuetudine Capituli in communi conferri solent, quàm ea, quæ à singulis Canonicis vice, & autoritate Capituli conferuntur. Verùm ad beneficia, quorum collatio specialiter annexa est dignitati, personæ, aut officio, tale mandatum se non extendit; idemque sentiendum, si collatio ad Canonicos ratione præbendarum suarum specialiter spectet, præterquam si in mandato expressum sit, ut Titio beneficium conferatur, cujus collatio ad